



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Ioviani Pontani. De Aspiratione Libri duo. Charon
Dialogus. Antonivs Dialogus. Activs Dialogus. Aegidivs
Dialogus. Asinvs Dialogus. De Sermone Libri Sex. Belli,
Qvod Ferdinandvs Senior ...**

Pontano, Giovanni Giovano

Venetiis, 1519

De Taciturnis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12960

dem assiduo uersantur uel potius interstrepitant. Verū attigisse hæc satis fortasse hoc in loco fuerit, cum ea siue uitia, siue uirtutes minime sint aut ad Veritatem, de qua dicturi sumus, aut ad Comitatem, Urbanitatem uel referenda. Loquaces enim uideri magis possunt Taciturnis aduersari, Taciturnitasq; ipsa Loquacitati. De quibus dicere his in libris minime propositum est nostrum.

De Taciturnis.

I llud tamen non prætermittemus. Taciturnitatem mediocritatem esse quandam, Loquacitatem excessum. Parte uero ex altera, qui taceo excedant, eos esse sine nomine, neq; enim aut ubi, aut quantum, aut quomodo, aut quid oporteat, dum tamen taceant, pensi quicquam habent, & siquid quandoq; musitant potius quàm loquuntur. Sed musitatio ex ore, innutuq; constat, ac supercilijs, non minusquàm uerbis, & plerumq; occulta est, igiturq; interdum è metu, aut reuerentia, nonnunquam pudore, aut stupore, non raro simulatione, ut eorū aduersarij uideatur, qui obgannunt, potius quàm qui loquaces sunt. Sed querere hæc ipsa distinctius hoc (ut dictum est) loco, nostri non est propositi. Quam ob rē qui mediocritatem hac ipsa in re de qua disputatio est, sequantur, quiq; ipsi sint, perquiramus. Cum enim Contentiosi, atq; Assentatores è regione penè sint constituendi, atq; ex aduerso collocari debeant, medium quidem inter hos ipsos perquirendum est. Etsi nomen mediocritatis eius minime est proditum, & Contentiositatem, & Adulationem extrema uerius dicimus, quàm opposita, quippe quæ à medio recedat. Itaq; mediocritas ipsa querenda nobis est. Aristoteles uero quanquam innominatam Græce tradat, putat tamen illam & retinere quæ utrinq; oporteat, ac seruare, & ratione eadem reijcere quæ, & ubi, & quomodo opus fuerit, atq; omnino repellere, ut etiam existimet hanc ipsam mediocritatem amicitie maxime esse similem. Quam in parte si aliquantum fortasse immorabimur, ueritatis, ac rei ipsius indagandæ gratia, sat confidimus, te (quod humanitatis est tue proprium) uitio id minime esse daturum.

De Delectu, qui, & qualis sit.

E t Poëta, & scriptores rerum tum humanarum, tum naturæ uoces rebus ipsis adiungunt, unde dicta sunt adiectiue, quibus proprietates, appellationesq; & declarant explicantq; & etiam finiunt. Nam hominem cum dicunt animalem esse, & rationalem et mortalem, hominem ipsum finiunt, & quæ substantia sit eius declarant. Quid cum